



**Hvmanae Salvts Monvmenta**

**Arias Montano, Benito**

**Antverpiae, [1571?]**

In tabulam ascensionis Christi. Ode Tricolos Tetrastrophos LXVII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68924](#)

In tabulam ascensionis Christi.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS LXVII.

EX PERS amarē mortis , & hostium  
Victor , triumphis perpetuis potens ,  
Solisq; peruincens nitores ,  
Astra petit patriamq; Christus .

Qui patris amplum sponte reliquerat  
Regnum , quietas & superūm domos ,  
Mortalis & vitalabores  
Pertulerat vigilesq; curas :

Celante numen corpore maximus  
Hospes , paratus seruitium graue  
Terris subire , atque inquietos  
Usque dies tolerare & annos :

Et sumpta nostra sorte , & ordinis  
Incomparandis membra laboribus  
Intendit , exercetq; patris  
Nutibus , imperiusq; summi .

Ergo peractis ipse periculis ,  
Seruus probatis officiis bonus ,  
Audire dilectusq; natus  
Promeruit , soli q; consors :

Præsensq; nostris partibus addidit  
Virtutis , alti & munera nominis ,  
Carniq; diuinos honores ,  
Et proprium decus arrogauit .

Miratur ardens discipuli cohors ,  
Certo petentem num ne sidera ;  
Nubesq; subiectas prementem ,  
Vix oculis celerem sequuntur .

Regemq; cæli suscipiunt suum  
Victoris auctum laudibus inclytis ,  
Celsiq; plaudentes ministri  
Concelebrant hominem Deumq; .

E M E -

EMERITA GESTORVM GRATIA.

*Ipse via est, ductorq; bonus; qui venerat alta ex  
Arce,redit, nobis ut paret ipse domum.*



CHRISTO TRIUMPHANTI S.

In